

Ad Ill^{mum} Card. Bellarminum.

Ill^{me} et R^{me} Dne

Iam ab Ill^{ma} Dom. tua secundo redditae sunt mihi litterae die vigesimo mensis Octobris exaratae quibus sane perlectis propter
5 solam consolationem quam ex ipsis in his nostris tribulationibus percepi summo quasi perfusus remansi gaudio. Non autem cum prioribus meis tum gaudium et laetitiam satis ostenderim, dum a vobis respicimur, tum desiderium nostrum de episcopis dilucide explicaverim, opus nunc est ut multa scribam, nisi quod fortassis rationi
10 consonum sit unica saltem linea pietatem et benevolentiam tuam in hanc nostram patriam afflictissimam a te praeclaris apicibus explicatam agnoscere. Adeo enim parata videtur Celsitudo tua ipsum Pontificem adire, ac cum ipso de nostris rebus agere, ut et sic contradictiones quas patimur melius ipse intelligat, et istos catholi-
15 cos, qui apud nos quibusdam libris exoticis (videntibus adversariis) nostros denigrant labores, velit aliqua bona via compescere. Quod vero insuper tua Amplitudo ait tot in episcopis obtinendis se offerre difficultates, ut illic de felici huius negotii exitu multum dubitetis, ni fallor è contra sentiunt aliqui patres, credentes (cum
20 de fidei conservatione agitur) difficultatibus minime credendum esse, et gravate ferentes ut fides asperitatibus fatigetur: nosque etiam eo respectu (iuxta patrum nostrorum consuetudinem, et ne fidem contaminemus) ad sedem illam sanctam humiliter convolvimus, quo illius nimirum sanissimo consilio, et iussione plenius instructi
25 in re tam difficili, tum quod optimum sit salubrius eligamus, tum innumeris etiam calamitatibus, quas (episcopis destituti) perferimus citius et firmiter finem bonum, et nostro statui magis consentaneum tuo patrocinio tandem acquiramus. Peramanter denique exigis a me (R^{me} ac dig^{me} Cardinalis) ut et tui ad mortem propinquantis
30 meminisse debeam, et ut in munere iniuncto fortiter me geram. Ac primum quidem Deo adiuvante pro viribus et ex corde persolvam tan-

/ quam debitum obsequium, et in altero magiore animi robore progrediar, si a sua Sanct^e illaque sacratissima Cathedra sublevari me, animari etiam, et fulciri sentiam. Interim vestris prudentissimis iudiciis, et benevolentissima charitate nos omnes freti de optimo
5 incesso in Domino confidimus, quem enixe obsecrare ego non desinam ut Ill^{ma} Dom. tuam adversus inimicos Ecclesiae tam erudite, et strenue pugnantes, diutissime nobis incolumem servet. Dat. Londini die decimo mensis Ianuarii 1613.

Ill^{mae} ac R^{mae} Dominationi tuae addictissimus.

10 Georgius Birckedus, Angliae Archip^r indignus.

London, Mss. Archiv. Westminstr. Vol. XV pag. 477=478.